



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Guillelmi Postelli De Repvblica

Postel, Guillaume

Lvgdvni Batavorvm, 1635

Epistola nuncupatoria ad D. Gulielmum Poietum totius Franciæ
Cancellarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65533)

GVIL. POSTELLI

MATHEMATVM

Et

PEREGRINARVM

Linguarum Regius
Interpres,

GVILLELMO POYETO

Gallia Cancellario

S. P. D.

MULTIS nominibus
sum adductus, Can-
cellarie æquissime, ut
hanc tenuitatis inge-
nioli fœturam, qua (ut parenti-
bus prole) nil mihi in hac vita
charius, nil dulcius esse potest,
tibi dicarem. Primo, ut in amici-
tia hoc parvo quidē, sed magno
labore composito & collecto

A 2 ope-

opere, me tibi respondere ostenderem, qui singulari benevolentia me incogitantem fovere cœperis : ut quum authoris curam susceperis, etiam eius in literis diligentia testimonium habeas. Alterum est, ne ingrati animi notam, qua nil turpius, nil ab humanitate alienius esset debet, desidia, atque tuorum in me meritorum silentio subirem. Tertium, ut meum de magistratibus opus, meo nomine parum fultum, autoritateque destitutum, cum adiret patronum, quo nec autoritate maior, nec prudentia rerumque cognitione ac usu assiduo superior, magistratum vero creandorum emendandorumve nullus peritior, in ipsis autem viros optimos idoneosque deligendo nullus esset exactior : cuius auspiciis & in publicum prodiret, & authoris
tenui-

N V N C V P A T O R I A . 7

tenuitatem sarcire atque com-
pensare posset. E diverso vero
dicare tibi iampridem illæ oc-
cupationes vetuerant, quibus
tantum non obrueris. In te
enim quum totius Gallicæ reip.
molem incumbere atque quies-
cere viderem, à te æqui bonique
fontem expeti, dimanare, leges
per te conservari, instaurari, vi-
gere, mille libellos tibi legen-
dos, probandos, & ut sic dicam,
cancellandos, causas innumeras
audiendas, te iudiciis præscribe-
re, te unum afflictis succurrere,
& ut semel finiam, quæcunque
ad æquitatem inter mortales
conservandam faciunt, te ad-
ministrare cernerem: profecto
vehementer terrebar, atque
apud me res eiusmodi perpen-
dens, dicebam: Qui poterit su-
peresse tuis legendis tempus?
oleum & operam perdis. ne in-

A 4 spice-

3 EPISTOLA

spicere quidem licebit. delituisse præstiterit. Verum in hoc animi fluctu vicit timorem benemerendi ardor: statuique potius dum ea quæ ab officio meo non abhorrent, persequor, minus opportune me ingerere, quam quiescendo tibi animum in te meum non significare. Animi non parum ad eam rem fecerat Budæus, quo, quandiu vixit, nunquam in hoc summo honorum quo es insignitus cumulo participando carere potuisti: cuius mortis acerbitatem ut lachrymis copiosissimis ac continuo mœrore restatus, ita maximum illius nomine favorem eius liberis, patre quidem dignis exhibes, locoque patris es. Auxit & Lazarus Baysius, vir quidem certe omni bonarum doctrinarum cognitione, atque utraque literatura apprime ornatus

NUNCUPATORIA. 9

narus, cuius eam ob rem assiduo
convictu & literatis colloquiis
quotidie uteris. Id suavit Chry-
soreus noster, cuius in literis
magnas animi dotes præmio
digno ornandas censuisti, cura-
stique. Nolo hic attingere (quod
me potissimum incitare debe-
bat) quot præclara ingenia eve-
xeris, & contra quot fucata, fa-
voreque atque ambitione nixa,
veluti reip. incommoda ab usu
fori & iudiciorum repuleris.
Taceo quam honorifice de do-
ctis omnibus & probis sentias,
loquere: quod noctes totas,
quum interdum non liceat, me-
moriam illam, qua nec Simoni-
des nec Mithridates fuit supe-
rior, in omni disciplinarum ge-
nere ita exerceas, ut facile ipsa-
rum professores vincas, inque
admirationem trahas. Me vero
vehementer permovere debe-

A s bat

10 E P I S T O L A

bat illa tua sollicitudo qua in nostris salariis nobis representandis, quum aulam ea de re sectarer, usum te sciunt omnes. Debebat præterea (nisi te alio urgentiores curæ raperent quotidie) studium illud tuum, crebraque apud regem commemoratio de trilingui Collegio, communi Regiæ liberalitatis atque in literas animi testimonio, & regionum professorum nomine, ædificando, deque proventu & salario rege digno constituendo. Quum etiam viderem, rem literariam, unicum futuræ virtutis seminarium, abs te veluti à suo fonte pendere, pro manareque ab ea quam de te concepit spe, non tamen me confirmabant ista omnia, nisi Gabriel Boverius Andium pontifex tibi ex sorore nepos, in cuius clientelam etiam me adscriptum voluisti,

NUNCUPATORIA. II

lūisti, me pene continuis con-
 vitiis omnino egisset diver-
 sum: cui sane ut obsequar, præ-
 ter amicitiam & illius singularis
 virtus & integritas facit. Mei
 itaq; magistratus tuum adeunt
 patrocinium. Meos enim cur
 etiam non appellem, qui iam
 totos mille annos ipsis Græcis
 peculiari opere desyderati, Lati-
 nis nunquam visi, à me una &
 instaurationem & nascendi ha-
 bent principium? Græca qui-
 dem ex quibus verti, antea ad-
 scripseram: verum omittere par-
 tim ideo fuit consilium, ne can-
 dem sententiam bis percurrere
 lector cogeretur, neve libri mo-
 les duplo excreceret: atque quia
 Latinis scribebam, visum est
 tantum Latina è Græcis versa
 servare. Satis porro sum habi-
 turus, meque maximum operæ
 precium fecisse credam, si no-
 stra

12 EPIST. NUNCUP.

stra vel semel abste lecta tui
gravissimi acerrimi que iudicii
cenfuram accipient, inque tute-
lam tuam recipientur, atque
clientuli animum de te bene
merendi cupidum tibi signifi-
cabunt. Vale.

IN